

quidem, sed non absolvitur, nec fit perfecta, donec in altera vita ab omni macula & ruga purgati demum perfecte iusti & sancti constituemur. Testantur id gemitus & querelæ sanctorum, & singulis nobis sensus conscientiae imperfectionem hanc dicat, quam qui in se non sentiunt stupidi, qui non agnoscunt, hypocritæ & fatui superbæ sunt. Queritur de sua imperfectione ipse Apostolus capite 7. Non igitur hac inchoata inhærente sanctitate coram iu-

dicio Dei iustificari possumus: sed exclamandum est omnibus sanctis cum Dauide: *Ne ingrediaris in iudicium cum seruo tuo, quia coram te non iustificabitur ullus vivens, &c.* Et cum Apostolo: *Scio quod in me, hoc est, in carne mea nihil boni habitat, &c.* Atq; hæc causa est, ut in textu monuimus, cur Apostolus verbo utatur futuro κατὰ σαρκὸς μου, quia videlicet hæc iustificatio non absolvitur in terris, sed perfecta constituetur in cælis.



CAPITIS SEXTI.

Argumentum, partitio, analysis.

Exposuit Apostolus effecta iustificationis fidei interna ad fidem & consolationem piorum spectantia cap. 5. Nunc addit effecta alia externa ad vitam & mores pertinentia: mortificationem peccati, & studium novæ vitæ: ac docet, iustificationem fidei non aperire fenestram licentiæ: sed peccatum efficaciter reprimere, & studium iustitiæ ingenerare iustificatis. Hanc doctrinam primum tradit & confirmat, deinde graui cohortatione nobis commendat. Occurrit igitur non modo sui temporis calumniatoribus Iudæis & philosophis, qui doctrinam gratiæ bonis moribus perniciosam esse calumniabantur: sed & tribus nostri seculi perniciosissimis sectis: Primum sophistis in Papatu, qui Euangelium patrocinari sceleribus similiter hodie calumniantur: Deinde Antinomis oppugnanzibus tertium usum legis, & bona opera perniciosam esse ad salutem docentibus: Denique Epicureis & hypocritis, qui ex Euangelii doctrina carnis licentiam venantur. **PARTES** capituli duæ sunt.

PRIOR PARSE est doctrinalis de cohærentia novitatis vitæ cum iustificationis gratia, usque ad ver. 12. cuius propositio bimèbris: *Iustificatio fidei non parit licentiã peccandi: sed studium iuste vivendi.* AD hanc transit occupatione *vers. 1.* **CONFIRMAT** utrunq; membrum alternis argumentis. **PRIUS** negans: *I. a contrario effellitur: sumus mortui pec-*

Acato. Ergo peccato non vivimus. *ver. 2.* Antecedens ratio est mysterium Baptismi significatis, nos cum Christo mortuos & sepultos esse. *ver. 3. 4.* **POSTERIUS** membrum affirmans probat *I. Ex eodem mysterio* Baptismi significantis nos cum Christo simul excitatos ad novam vitam. *vers. 4.* **Q**UOD confirmat à necessario nexu καὶ ζωῆς nostræ cum Christo in utroque *vers. 5.* Alterum argumentum prioris membri à καὶ ζωῆς crucis